

et species cum synonymis, descriptiones dein specierum nonnullarum quas laudabiles puto. Methodos varias et quamplurimas ipsi dare facillimum fuisset, in classes naturales servare debuisset, voluisset. Statutis generibus et speciebus tua methodus longè facilior evaderet; indè tamen hoc incommodum sequitur, quòd aliquot genera naturalia dilacerari debent; ità ut aliæ species hujus classis ad unam classem, aliæ vero ad alteram et diversissimam amandandæ sint. Confer Artedi *Ichthyol. Philos.*, § 170.

Est hic Domina nobilissima, corpore vegeto, cui dolor vehementissimus punctorius, sed momentaneus, apicem digiti intermedii occupavit, qui eam exeruciat miserrimè, inopinatè ac si acu perforaretur, mox cessat, redit interdùm omni minutà, interdùm per horas cessat; tandem papillatæ quasi rubræ seu pustulæ minimæ decem ad sexdecim apicem occupant, tùm cessant parùm punctiones, non tamen absolutè; omni tempore redit, somnum millies interrumpit; cutis longitudinaliter corrugata nunc per dolorem est; et extimus articulus attenuatus, non tamen pallidior. Proximum et tertium demùm occupavit digitum pari modo. Tertius nunc agitur morbi annus. Fortè à terrore accepit, quùm domum incendio tactam percepit. Nullum medicamentum morbum palliare valet.